

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Sortilegium et diuinitio f cum fontibus proximo et primo

Non est absurdum credere aliqua dispensatione permissum fuisse,
ut non dominante arte magica,
sed dispensatione occulta,
que Phitonissam et Saulem latebat,
se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis,
diuina eum sententia percussurus.

Vel non uere spiritus Samuelis a requie sua excitatus est,
sed aliquod phantasma et illusio ymaginaria,
dyaboli machinationibus facta,
quam scriptura Samuelem appellat,
sicut solent ymagines rerum suarum nominibus appellari.

Augustinus in epistola ad Simplicianum.

Ad secundum dicendum quod,
sicut Augustinus dicit, *ad Simplicianum*,
non est absurdum credere aliqua dispensatione permissum fuisse
ut, non dominante arte magica vel potentia,
sed dispensatione occulta,
quae pythonissam et Saulem latebat,
se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis,
diuina eum sententia percussurus.

Vel, non uere spiritus Samuelis a requie sua excitatus est,
sed aliquod phantasma et illusio ymaginaria,
dyaboli machinationibus facta:
quam Scriptura Samuelem appellat,
sicut solent ymagines rerum suarum nominibus appellari.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*,
95.4.resp.2 (P. Caramello ed., p.454).

Quod si illud in euangelio nos ideo non perturbat, quia dominus uoluit
atque permisit nulla deminutione suae potestatis et diuinitatis id fieri,
sicut ab ipsis Iudaeis,

quamquam peruersis atque immundis et facta diaboli facientibus,
et teneri se et uinciri et inludi et crucifigi atque interfici passus est,
non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinae uoluntatis
permissum fuisse.

ut non inuitus nec dominante atque subiugante magica potentia,
sed uolens atque obtemperans occultae dispositioni dei,
quae pytonissam illam et Saulem latebat,
consentiret spiritus prophetae sancti se ostendi aspectibus regis
diuina eum sententia percussurus.

Cur enim anima boni hominis, a malis uiuis euocata si uenerit,
amittere uideatur dignitatem suam, cum et uiui plerumque boni uocati
ad malos ueniant et agant cum eis quod officium postulat aequitatis,
seruato atque inconcusso decore uirtutis suae et illorum uitiiis
pro rerum praesentium uel usu uel necessitate tractatis?

Quamquam in hoc facto potest esse alius facilius exitus
et expeditior intellectus,

ut non uere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus,
sed aliquod phantasma et ymaginariam inlusionem
dyaboli machinationibus factam,

quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat,
quia solent ymagines earum rerum nominibus appellari
uarum ymagines sunt; sicut omnia quae pinguntur atque finguntur
ex aliqua materie metalli aut ligni uel cuiusque rei aptae ad opera
huiusmodi quaeque etiam uidentur in somnis et omnes fere
ymagines earum rerum quarum ymagines sunt appellari nominibus solent.

Augustinus Hipponensis, *De diuersis quaestionibus*, 2.3.1-2
(CCSL 44A, A. Mutzenbecher ed., pp.82-3, ll.25-52).